

tum fuisse: quod in chartula telescopio subiecta deprehenderint. Sed quod nec isti valde ab astronomia, & istiusmodi peritia parati sunt; & nonnulli ejus intelligentiores cum eodem tempore in id incumbere, nihil omnino viderunt; suspecta mihi est observationis illius fides: praesertim quae *ερασην*; immo incredibile sit. Quis enim bellum solaris disci ab Venere obscurari posse sibi persuadeat? Itaque nolo fidem adhibeas. Vale vir eruditissime & nostris laboribus favere perge. Deum vicissim precor, ut tibi gratia sua aspirare velit; ac te incolumem conservet.

EPISTOLA XXIV.

Petro Crugero V. Cl. Dantiscum.

OLIM me ad te scribere cunctantem verberant sapientius, & officii admonent partim populares tui, qui identidem huc veniunt: partim me vero cessationis huius meae suppedit. Sed is es, & eo genere ad me scribis epistolarum, ut neque parvo tempore, neque non diu, ac longè meditato mihi sit opus, qui tibi respondeam. Quod dum accuratè facere cogito, & vacuum tempus exspecto ad illa recolenda studia, & quibus quaestiones tuae ducuntur; quod ista jamdudum tractare desii: longior imprudenti mihi dies obrepit. Sed compensabo tarditatem hanc diligentia responsonis huius; atque una cum forte multiplicatum fenus tibi persolvam.

Igitur ad ea, quae penultimis tuis proposuisti, singillatim, ordinèque rescribam.

Ex iis fuit illud primum, quod jam inter nos agitari coeptum erat, de Graeca octaeteride; quam Geminum docui ab initio dierum factam putasse 2923; tu primum 2922; postea correctam, & ad illum modum redactam. Uter verius sentiat, non aliunde, quam ex Geminio ipso cognoscitur. Enimvero, si quis hunc attendit legat, non dubitabit, quin hoc ipsum, quod dixi, planissimè doceat. Scribit p. 19 & 20 editionis meae, antiquos eum quæsisse circuitum annorum, qui Solis Lunaeque numeros impleteret, ad idque quadruplicem ab iis tentatam esse Periodum. Prima fuit dieteris, in qua mensis omnes tricenarii erant. Sed huius vitium statim esse deprehensum ait. Itaque ad octaeteridem secundò transierunt, in qua duo illa dicit esse quæsitae: alterum, ut cum Solismotu orbis ille congrueret: alterum, ut & Luna responderet. Horum prius affecti sunt descriptione mensium 96, qui alternis pleni essent, & cavi; & intercalarium trium ac tricenariorum, ut in totum essent mensis 99, dies 2922, quot anni octo Juliani continent. Tum ita pergit: cum iidem intelligerent, ista quidem ratione Solis se cursum assecutos, ab Luna verò deficere, quoniam mensis *ερασην* supra dies 29 1/2, habet insuper diei partem tricesimam tertiam: octo verò Lunares anni pleni, diebus constant 2923; hoc est uno die, & 1/2 amplius, quam prior habet descriptio; ideo alternis octaeteridibus triduum adjecisse; in octaeteridibus verò 20, qui sunt anni 160, mensium integrum exemisse. Hæc Geminus uno & eodem instituto facta memorat. Nam ad utrumque genus octaeteridis eundem solaris anni modum accommodat, qui est 369 dierum & 1/2; ex quo contextus ille simplex octaeteridis ortum habuit, dierum 2922. Idemque & in posteriore forma continuatur, ut scribit pag. 21. Ex quo sic argumentari licet. Quoniam id ab initio quæsierunt octaeteridis Graecae conditores, ut periodum haberent, quæ Solis pariter ac Lunæ rationes exhauriret; qualiscumque tum ab illis fabricata est, ejusmodi esse profectò debuit, ut rationes peræquaret utriusque sideris. Atqui solem jam tum sciebant diebus moveri 365 1/4, ut ibidem docet Geminus. Ex quo & octaeteridis modum illum profluxisse dicit, qui dies colligebat præcisè 2922.

Ergo & in posteriore genere octaeteridis, si quidem diversti, ut vis, & instituti fuit & temporis, idem spectare illos oportuit: ac proinde numerus ille dierum 2923 1/2, perinde justis è Solaribus spatii, ac Lunaribus ex eorum opinione constare debuit. Quorum enim octaeteridem constituerent, nisi ut Solis ac Lunæ numeros omnes exhaurirent? Quod non fieret, nisi dies 2923; uti plenos novem & nonaginta Lunæ circuitus;

ita octo solis annos impleteret. Quare qui diversam huius posterioris Octaeteridis institutionem esse velit; necesse est idem Solaris anni mensuram perinde diversam faciat: hoc est, dierum 365, hor. 10, 30'.

Atqui Geminus unam, & eandem utrobique Solaris anni quantitatem fuisse vult. Non igitur novam, ac diversam octaeteridis ordinationem hanc esse credidit, sed unius generis, in qua 96 menses alternis pleni cavique dies colligunt 2832, & additis intercalariis tribus, hoc est diebus 90, conflunt dies 2922. Sed in fine octaeteridis secundæ triduum additur. Ideo ordinarius quidem modus dierum est 2922, verus autem & exactus, 2923 1/2. Quemadmodum annus noster dies ordinarios habet 365, teipsa 365 1/4; hoc est quartus quisque 366. Sanè Geminus in hac tota descriptione Octaeteridis, continenti oratione utitur; & eisdem significat triduum in fine Octaeteridis addidisse; quos paulò antè dixerat alternatè plenas, cavâque, atque embolimos ternos indidisse. Neque animadverto prioris Octaeteridis vitio transiitum ad alteram esse factum indicat. Vide enim amabo te, quæ sit orationis illius series. Primum * dixit Græcos initio quæsisse Periodum aliquam in qua anni cum Sole congruerent, menses cum Luna; hoc est, quos menses annique civiles singuli lunares essent; tota verò Periodus in annos solares partita nihil residui faceret. Ita enim interpretandus hic locus est, non ut annos ipsos singulos civiliter usurpatos ad solem descriptos velit; menses verò singulos, ad Lunam. quod anni genus ne fingi quidem cogitatione potest. Ergo ut hoc assequeretur, imprimis Octaeteridem amplexi sunt: in qua menses alternis plenos, cavâque constituerunt, uti supra dixi, 96, & tres insuper embolimos erogarunt, ut esset Octaeteris dierum 2922, quæ in octo aequales annos partita, singulis dies attribuit 365 1/4 qui solaris anni modus jam tum ab illis agnitus est, ut * eodem loco docet. Ita quod primum erat è duobus, adepti sunt, ut anni eorum cum Sole concordet essent: resabat alterum, ut & cum Luna menses ac dies congruerent. Hoc ut efficerent, mensis lunaris dies 29 1/2 & 1/2 multiplicarunt in 99, ut existerent dies in tota Octaeteride 2923 1/2 *ερασην*, inquit, *τὰς 3 ἡμετέρας ἡμέρας*, &c. Quinam? nempe illi de quibus locutus est: qui Octaeteridem ratione Solis absolutam; ratione Lunæ, mancam, & affectam instituerant. Illi, inquam, qui Solis annum diebus metiebantur 365 1/4, ut ibidem memorat. Idem illi & dies addecerunt per singulas hecædecæeteridas, tres, & post decem hecædecæeterides unum mensium eximebant. Hæc anni prima & integra fuit ordinatio: quæ veteris Græciæ proposito sola respondere posset, quod ejusmodi fuisse docuit, ut per omnes annorum periodos non fuisse dumtaxat, aut Lunæ, sed utriusque curriculum expleteret.

Finge enim duas ac diversas octaeteridas & institutiones fuisse primum dierum 2922; deinde 2923; Ergo consequens est, utramque Periodum Soli non minus respondisse, quam Lunæ. Quare posterior per 8 Solis annos divisa, dabit anni solaris modum ex illorum opinione, dierum 365, horarum 10, 30'. quam Geminus tradidit, annum utrobique dierum habitum 365 1/4. Porro cum ab octaeteride transit ad enneadecaeteridem, vide ut loquitur, *ερασην*, inquit, *ερασην* *ερασην*, cum prioris vitium deprehendissent tum Solis annus in ea non, ut antè dierum constitutus est 365 1/4, sed 365 1/4, hoc est 365, 6, 18', 56'', 56''', 31'''''''. Ad summam, invicem argumentum habeo ex anni Solaris modo, quem in utraque forma octaeteridis, eundem statuit Geminus.

Atenim contra me est Aristophanes, qui Neomenias civiles ætate aberrasse sua significat: quod neutiquam evenisset, si jam tum adeo exactæ syzygiæ in usu fuissent, ut vix in annis 160 uno die peccarent. Ita mihi objiciebat in epistola tua priore. Cui sic à me satisfactum est: videri triduum illud *ερασην* interduum ab Herophantis quorum erat anni procuratio, neglectum fuisse. ut in simili re Pontifices Romæ fecerunt, qui Merkedini intercalationem pro arbitrio suo prætermittant, aut alieno representabant tempore, ex quo anni consecuta perturbatio est. Tu verò conjecturam hanc reprehendis, & festinanti excidisse calamo scribis; *quippe*, inquis, *lumen Luna præfulgidum erat vesperis, ut postpositione*

postione peccavit Neomenia civilis non anticipatione. Sed amabo te nonne magis ista describenti festinavit calamus tuus? Nam ut aliud nihil dicam, certè in idem recidisti, quod pro absurdo mihi objicis. Etenim si erravi propterea quod de annis totius hecædecæeteridis 5847 dies tres expunxi, hoc est octaeterides duas dierum constitui 5844; tu in eadem es causâ, qui octaeteridem unam dierum fuisse tum pugnas 2922: hoc est, duas dierum 5844. Quare non est à veri regione avia conjectura nostra, de triduo, aut etiâ pluribus diebus plerumque neglectis ac suppressis. cui tu frustra Aristophanem opponis. Hic enim in *Νεφέλαις*, Lunam id solum conquerentem inducit, quod non ritè dies Athenis ordinent.

κὴν ἔρασην τὸς ἡμέρας
οὐδὲν ἔρασην, ἀλλ' ἄνω π, καὶ κάτω κροδοσῶπ.

quod, inquam, fuisse deque diebus haberent: adeo ut festa Deorum neutiquam festis temporibus occurrerent. Ubi neque *ερασην*, neque *μετεμπίσῳσις* ulla significatio est. Ac de octaeteride Græcorum veterè, satis multa.

Caput est alterum epistolæ tuæ de anno, ac Periodo Metonis, cujus descriptionem in secundo de Doct. Temp. à me conditam, probas tu quidem, neque aliter institui oportere statuis: sed illud inquiris, cur cum novilunium anno primo Periodi illius tam in 16 Julii, quam 16 Julii ceciderit; in hoc posteriore Metro primam suam Neomeniam fixerit potius, quam in priore. Huius tu causam prioribus litteris hanc reddideras, quod populare solstitium in octavo tum Cancri, hoc est Julii 4 collocatum fuerit, quem limitem enneadecaeteridi suæ Metro posuerit: ita ut plenilunium nullum cardinem illum atreverit.

Sed contra hanc conjecturam multa disputavimus in secundo Variarum ad Uranologion; capite v. quæ nunc quoque vera putamus. Itaque non potest nobis illa ratio probari. Sed istas, & meliorem à nobis exigis, cujus nullam in nostris libris significationem esse dicis. Esti id minime est necesse, tamen nonnulla ex eo capi potest, quod in primo, cap. 8, pag. 11, & secundo, cap. 10, p. 57, 58, docuimus, quam hoc loco breviter exponam. Metro enneadecaeteridem suam sic instituit, ut ad civilem annum castigandum ejus usum referret. Erat autem civilis hic annus per octaeteridas digestus. proinde ad octaeteridas emendandas methodum suam accommodare studuit. Scribit Diodorus lib. xi, Metoniem enneadecaeteridem suam edidisse, initio ducto à die 13 Scirrphorionis. Hoc Diodori dictum quam absurde Scaliger acceperit, non necesse est hic repetere. satis enim id illo in loco fecimus, atque etiam verè sic interpretati sumus: Metonem cum annum suum publicaret non præfectè pristini anni, & octaeteridis intercidisse cursum: sed ultimi mensis reliquos dies in Parapegmate descripsisse, putà Scirrphorionis octaeteridi diem 13, 14, 15, &c. Lababat tum octaeteris Attica, & diebus aliquot pessum ire coeperat, ut ex Aristophane tute ipse colligebas. Itaque Scirrphorionis veteris dies illos 13, 14 &c. sic adnotavit, ut ad eisdem castigatos dies adscriberet. Ut si triduo, vel quadriduo *ερασην* peccasse velis Lunarem syzygiam: ita ut 13 civilis dies, esset accurata, ac celestis 16 vel 17; ad Scirrphorionis popularis, & depravati, 13 diem; adscripsit lunaris, & deinceps noni Scirrphorionis diem 16, vel 17: ac deinceps syzygiæ reliquas ea serie continuari jussit. Ex quo ratio illa, quam dixi peti potest, cur Neomeniam primam in 16 Julii potius, quam 17 Julii Metro collocarit, (sunt enim Scirrphorion ex ordine cavi, ut ab 17 profectus Junii in 15 Julii deserit.) Nimirum, quod octaeteris vitiosissime Scirrphorion, idemque postremus, ab solstitialibus metis longè summotus illum locum occuparet; & quo sollicitandum esse Metro non censuit, sed ad exactiores lunæ calculos revocandum. Volo & illud animadvertas, quod in eodem opere demonstravimus; tamen in initium anni Græci & Attici ab æstâte repetètur, ac primus esset mensium Hecatombæon, nihilominus consuevisse Atticos intercalarem mensium in hibernum tempus conjicere, ejusque mensium qui Posideon dictus est. Quare quod ad epocham anni civilis spectat; major ducta ratio est solstitii brumalis, Pars III.

quàm æstivi. Tum verò, quod caput est, scire debes; non illud curasse Græci anni conditores, ac Metonem ipsum, ut singulorum annorum capita propriè ad solstitium accedent, sed hoc in primo dumtaxat Periodi anno tenuisse. Quo constituto, ceteros deinde propter embolismorum descriptionem longius evagari necesse est, qui quasi catena quadam è superiorum serie necuntur. Ergo anno primo Periodi Metonicæ, in laterculo nostro Neomenia Gamelionis 10 Januarii diem obsidet, qui propius abest à solstitio hiberno. Ut hac ratione canon epochæ Neomenia potius esset, quam plenilunium, de quo in 1 libro pag. 13, & 16 dubitavimus. Sed ea cautio in anno, uti dixi, primo Periodi dumtaxat est adhibita, ceteris impunita est data longius à metis excurrendi. Sed eò revertor; quod paulò antè docui, eamque te causam notare cupio, de qua percontatus eras, cur anno primo Metonis; Hecatombæonis Neomenia Julii potius 16, quam Junii 17 adjudicata sit. Nam probabilis eâ maxime videtur, quod tum octaetericus, & popularis annus cui sollicitum præsidium nova ex periodo Meton acceverat, longius ab legitimo cardine descivisset.

Quod verò admones de distantia Solis & Lunæ, tempore mediæ oppositionis, vel oppositionis, per motum verum horarium putanda: scito me consultò medium motum adhibuisse cum Mullero; cujus causam reddidi pag. 438, & 439 Tb. 1. de Doctrina Temp. Vide locum ac tute ipse periculum facito; & nodum illum expedi. Experteris autem iis in exemplis, in quibus prosthaphæreticum discrimen magnum est. Nam in minoribus non valde id apparet.

Cardinem solstitii Metonici medium videri, non exactum, ac verum, scripsi in Variarum Diferent. p. 131: quod te minus delectat. Et tamen in idem recurris postea; immo calidiori facinore, nihil verum inter, ac medium distinxisse tam illum, quam ceteros statuis: quod sanè incredibilis est, quam quod scriperam. Sed nolo pugnare.

De Hipparcheo anno, vel periodo, non multum à meâ tua ratio discrepat. Fateris enim, quod planè demonstrasse videor; Hipparchum ex observationibus anni Solaris modum constituisse. De antiquioribus astronomis facile remitto. Nam & Geminus, quod tu notasti, solem Metonis annum ex enneadecaeteride dierum 6940 colligit. De Hipparcho puto aliter sentiendum. Huius annus Lunaris dierum est 354, 8, 48', 40'', ejusmodi anni 304 cum embolimis mensibus 112 dies numerant 111035, 0, 48', 53'', 20'''. Discrimen horum, & Julianorum totidem, dies 0, horæ 23, 11', 6'', 40''. Non igitur annis 304 iusta fit unius diei *ερασην*. Neque præcisè dies habet 111035; annus ille magnus Hipparchi, ut eum Confortinus appellat. Unde ex ejus divisione modus anni Solaris definitur non potuit; ut trecentis annis unum expungendum diem scisceret, quia propè abest hic numerus à 304. quod ita demum usurpari posset; si in annis 304 iusta peractio fieret. At non fit: Nam præterpropter anni 312 requiruntur, ut solidus dies perimatur. Non igitur 300 anni idcirco præfiniti sunt, quia propius accedunt ad eum numerum, quo præcisâ fit unius diei *ερασην*. Non enim 12 anni vel eò plures; exiguus, & insuper habendus numerus videri potuit accurato homini, & astronomie principi. Sed de hac re nimium multa. Te velim perpetuò mei esse memorem, & eodem in me animo, quo cœpisti: cujus mihi fidem postremæ tuæ litteræ fecerunt. quas hic tute attulit Joannes Rosenbergius præclarus juvenis, pessimè habiturum se à piratis nostratibus questus est. Quod mihi vel ejus, vel tuâ, vel nostrâ etiam causâ plurimum dolet.

Utinam bellicis iis tumultibus pax aliquando succedat; quæ & Christianis regnis; & Ecclesiæ ipsi tranquillitatem, atque otium afferat. Ita enim fiet, ut & litteræ nostræ, & litterarum commercia reflorescant. Misi ad te Dissertationem quamdam de Concilio Sirmiensis, & damnatione Photini; in qua haud vulgaria nisi fallor, pauca sunt; ignota certè hæctenus; & ab nemine comperta. Nunc Rationarii editionis postremæ tomos duos adjeci, grati erga te animi pignus, & diuturnæ cessationis meæ compensationem.

EPISTOLA XXV.

Josephi Maria Suarezio V. Cl. Romam. Is postea Episcopus Vasonensis fuit.

Peto abs te primum (VIR ERUDIT.) tarditati ut ignoscas meam, quod eruditissimis, suavissimisque litteris tuis tanto intervallo respondeam. Tum vero tibi, ac per te, si id nimium arrogans non est, fautoribus illis meis gratiam habeo, quantam capere maximam possum: etsi pluris amborum animam in me, quam iudicium de me (si is sum, qui esse volo) facere debeo. Equidem quantumcumque inest in me facultatis, & ingenii, totum id Sanctissimo D. N. & secundum hunc Eminentiss. Cardinali Barberino devotum, & addidum esse iamdudum cupiebam: postquam vero tantopere iis intellexi probatum esse studium, atque officium meum; majoribus ad id incitamentis, & aculeis urgeri me sentio.

Ad te porro quod attinet: quodque te amicitiam nostram dicis expetere; facit hoc abundantia benignitatis tua; ut quod ambire, ac postulare debueram prior, id occupares, & exemplo tuo praeire velles. In quo ut a te videri me esse fateor, sic obsequio, cultuque consuetudinis illius inferiorum me esse te deinceps non patiar. Ex eadem profectum humanitate etiam illud interpreto, quod te lucubrationibus meis tam valde affici praedicat. Quo ego fructu, si quid in istis humani spectare vellem, majorem, iucundiorumque capere non possem. Sed prodesse me malo, quam commendari lectoribus meis: tamen utrumque est optandum. Sed in te prius idcirco locum non habet, quod nulla re a me potes abire doctior: itaque posteriore sum contentus.

Postquam amori tuo provocationique satisfeci; nunc respondebo quaestionibus tuis. Ex sunt de Juliano editione nostra omnino duae. Primum enim molestum id tibi evenisse scribis, quod cum Galli ad Julianum epistolam ex Vaticana bibliotheca ad me missam inter reliquas eaderem, Nicolai Alemanni qui eam Latinè interpretatus erat, nomen omiserim. Simul illud inquisis, quid causa sit, cur eidem huic epistolae obelum impellerim, spuriamque iudicarem.

Ad hac nobis longo sermone opus non erit. Primum enim de Alemanno interprete divinare qui potui? cuius nomen ab Holfenio positum esse non memini. Mihi vero cum Nicolao Alemanno, quoad vixit, usus & consuetudo litterarum fuit: & mortui, propter singularem doctrinam & humanitatem, vivit apud me recordatio, quem ego tantillo hoc honore non fraudassem; si illum auctorem esse scissem Latinae huius interpretationis: tamen non magnam ex ea laudis accessionem ejus habere fama potuisset.

Eandem porro esse confitam ab otioso Graeculo, & supposititiam epistolam, ex eo conjectura fit, quod imperite admodum Gallus in ea Caesarem Julianum fratrem alloquens dicat ipsum, quantum quidem ferebat rumor, ἡγουμένου δὲ ἀετιῆτος θεγονίας δὲ ἐκ ἀετιῶν ἀετιῶν ἀετιῶν: hoc est, ut Alemannus noster reddidit, abdicasse primam religionem, quam a majoribus acceperat. Προγῶνος sunt, ut ex Platone vertit Cicero, generatores: ut sunt avi, proavi, atavi. Itaque Gallus Julianum ait ab avis & proavis suis Christianam accepisse fidem. Quo quid fingi potest obtusius: Galli, & Juliani pater fuit Constantius Constantini Magni frater ex Theodora Maximiani Herculi privigna. Uterque ille Constantio Chloro genitus est, cujus origo ad Claudium Imperatorem a nonnullis refertur. Neutra vero de stirpe ἀετιῶν Christianam religionem ad Gallum, Julianumque transiit: cum omnes gentiles, & a Christo alieni fuerint: persecutores etiam nonnulli Christianorum. Quare planus ille tamquam ἔξ ἑνὸς ἀετιῶν se ipse prodidit. Mitto de Juliano id dicere, quod ex Historico constat, etsi jam olim profanis superstitionibus occupatus a Christianis sacris abhorreret, numquam tamen superstitie Constantio, saltem ante Galli obitum, id prae se tulisset: sed diligenter occultasse. Unde verisimile non est, famam ejusmodi, qualem impostor ille describit, ad Gallum per-

vasisse. Sed hoc minus ad conjecturam est efficac. Illud validum & ἀναρτίστον, quod mihi quidem: credo etiam & tibi, viro docto, & perspicaci, persuasum debet, non inanem fuisse suspensionem meam. Vale, meque ut institui & amare, & in tuis numerare perge.

EPISTOLA XXVI.

Casimiro Sarbierio Societatis Jesu, Romam.

QUAM multa nobis eodem tempore negotia sint; hoc est doctrinarum tractanda genera (neque enim aliis rebus occupamur) tamen praedicare ipsum forsasse putidum est, tacere tamen penitus non oportet. Credo enim mirari te, ac subiras mihi, quod tamdiu jam acceptis litteris tuis nihil ad te scripserim, sic quasi contemniam, aut officio illo tuo, ac tam proluxa voluntatis erga me tuae, amicitiaeque significatione non valde movear. Tu vero neutrum ut de nobis suspicere, pro communi caritatis lege, proque singulari de te iudicio meo, majorem in modum abs te peto. Nam nec cum esse te, quem parvi facere debeam, vel ex eorum litteris, quibus cum vivis quotidie, vel ex tuis ipse cognovi; & quod ultra tu notitiam, ac familiaritatem nostram expetis, non potest non esse gratissimum. Primum quoniam id, nisi jam nos amares, non faceres. Est autem cum amari per se iucundum ipsum: tum si ab altero provoceris, redamare necesse est, ac mutuum referre ἀγάπῃ τῷ πληρώσει, ἢ ἁπλῶς, ἢ καὶ διὰ τῆς χάριτος. Deinde tanta cum humanitate, ac modestia primum illum ad amicitiam nostram adiutum tibi parasti; ut nimium etiam hoc in genere fuisse, & plus aliquantulum, quam necesse fuerit, voluntati erga nos tuae indulisse viderere. Quare prius illud magis me tuis in litteris delectabat. Nam quod invidiosum me laudibus praeter veritatem, praeterea meritum onerasti, adeo neque placuit, neque placere debuit; ut nisi alterius, quod mihi suavissimum esse dixi, iacturam vererere facere, aut nihil omnino, aut severius ad te scriberem. Quamobrem istam etiam causam tarditatis in scribendo meae ad superiorem illam occupationem, studiorumque nostrorum debes adjungere. Quamquam haec sane praecipua fuit, quod eodem tempore tam multa tamque diversa molientem ceterarum parum rerum oblivio capiebat, aut ut earum aliquando recordarer, quod de rescribendi hoc officio negare non possum, identidem aliud in tempore otiumque disserterem. Sed ejusmodi nostrae occupationes fuerint, insequens annus ostendit. De acumine nimis tu quidem subtiliter & acute: vix ut ipse satis intelligam quae tu forsasse brevius attigisti, quam ut nos humi repente assequi possemus. Ego de acuto quatenus in oratione didicisse cernitur, (nam in ceteris infinite patet) ita sentiebam: id ita vocari, quod & praeter communem usum expectationemque fit, & cum re, qua de agitur maxime conjunctum. Ita fit ut ad genus ἡρώδης ἢ pertinere videatur, ac tam dissentanea, quam consentanea ambitu suo contineat. Hanc acuti descriptionem exempla illa persuadent, quae in epistola tua posuisti, quaeque aliunde colligi innumerabilia possunt. Quae si diligenter animadverteris, duo quaedam inesse videbis, propter quae tum acuta nominantur; tum audientis animum admirabilitate, aut etiam iucunditate percipiunt: nimirum quod & ἀκροῦ προεξέλιξιν accidit; & mirifice ad tem attinent. Quae enim sunt ejusmodi, altius penetrant, & insignis sui vestigium animis imprimunt. Hoc vero est ἡ ἑξέλιξ, id est acutorum proprium. Mea haec est de acumine acutoque sententia, quantum ceteri mentis agitatione; subitoque impetu consequi potui.

Tu cum Opus de Acumine quod polliceris elucubrabis, non dubito, quin plenius & acutius tibi ipse respondeas. Vale interim, & nos amare perge.

EPISTOLA XXVII.

Rolando Marefo V. Cl.

ITA proflus est, ut scribis, erudite MAREFO, neque valde mirari attinet, perpaucos aetatis huius homines in utroque doctrinae genere esse praestantes, tum eo, quod elegantibus, ac politis artibus constat; velut Grammatica, quam Criticem Polybius appellat; & variarum linguarum scientia: tum nobiliore altero, cuius regnum Philosophia, & Theologia inter se partitum obtinent. Atqui summa est, inquis, amborum consensus, & usu secum, ac consuetudine copulantur; ut a se mutuo divelli, ac dissociari neutrius interfit. Verè id quidem a te commemoratum arbitror: sed cur mirum videri non debeat, causas sunt admodum multae: equibus vulgares; & obvia sunt istae; amplitudo singularum, & propemodum infinitas; brevis spatium aetatis; necessarii ad otium subsidii, relique familiaris angustia; corporis imbecillitas; turbulenta tempora; & studii inimica pacis; complura id genus alia, quae ingenii restandunt, & hebetant aciem, ardoremque restinguunt. Sed est una reconditur adhuc, & solis altissimi nota Christianae sapientiae; quae ex summi, & hominum amatissimi creatoris providentia petitur: quae quidem similiter ac terrarum per diversas regiones indolem, & ubertatem; sic animorum proclivitates, captumque mirabili varietate dispersat: ut non promissum omnibus omnium copiam indulgeat. De hujusmodi dissimilitudine locorum praclare hoc alicubi Chryostomus; Deum certarum rerum proventum quibusdam dedisse terris, negasse ceterarum; ac vicissim quod his detrahit, aliis attribuisse: ne contenta suis opibus, & nullius egens aliqua, exterorum contemptum incolis suis afferret: atque ut alterna illa copiarum egestas, & compensatio, omnes inter se conciliatos, & pacatos haberet: ex quo longinquae peregrinationes, commutationes gentium, & commercia terrarum marique negotiantium: quibus mutua generis humani caritas, & societatis alitur. Licet istud ipsum ad ingenio dignas homine disciplinas transferre. Nam alios praestare aliis artibus; & inventis voluit Deus; nec ab uno tantquam communi fonte, quae seire cupierent, haurire singulos: ne se ille arrogantius efferret, atque inter homines eujusdam principatum divinitatis assumeret. Vide, amabo te, quam multi sint, in una quapiam etiam inferiorum artium, qui quod multis anteferi se vident, infra se positos omnes despiciunt, proque nihilo ducunt. Est in historicis fuisse medicum nescio quem: Menecratem opinor vocabant: qui cum ex professione haec & ad quaestum, & ad nominis gloriam profecisset, amore, opinionemque sui miserè perdidit, Deum se appellavit ipse, & appellari ab omnibus voluit: credo quod vixit, ne quisque, itidem ut Deus est, arbiter haberi cuperet. Quid in reliquis studiis? Duo epistola tua commemoravit, unum Grammaticorum sive Criticorum: alterum Philosophorum. Nam de Theologis ἡ ἀρετὴ τοῦ καὶ τοῦ ἀπὸ. Ergo ut utroque paucis perstringam: scis priorum postremis his saeculis duobus quanta vilitas fuerit: in plerisque vero quae animorum feritas, & immanitas: quanta in eorum libris libido rixandi; quanta stili petulantia: quam saepe parvis de rebus, de litterulis, ac vocalibus intersecna orta sint odia, & certamina: tamquam de salute patriae, deque capite suo, & civium omnium agatur.

De Philosophis nihil ad hoc testimonium addi potest, quod in ea, quae est ad Romanos epistola, gravissimum, ac verissimum dixit Apostolus: ubi postquam illos in omni doctrinarum genere perfectos exhibuisse docuit, eoque pervenisse, ut ex intima rerum creaturarum contemplatione ad creatoris re cognitionem attollerent; tandem ipsis refert suam fuisse frandi excellentem, & prope divinam scientiam: quae elati, & inflati in horrendam caecitatem prolapsi sunt. Quoniam cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipientium cor eorum. Dicentes se esse sapientes, facti facti sunt.

Veni ne longius in istis eruditorum persequendis Pars III.

ruinis sermonem protraham, & ut ad me revocem, unde sum ad illa delapsus: non alia mihi visa causa verisimilior est, propter quam Deus, cujus unius nutu infima quaeque, praesertim humana gubernantur, terminis quibusdam definiti voluit ingeniorum modulum atque captum: ut aliorum egestes operæ, vicissim & ipsi de sua libenter accommodent: nec se solos admodum, & fortunatos existiment.

Atque haec quidem bene perspecta, & considerata ratio id quidem potest, ac debet efficere, ut litterarum cupidi in omnibus disciplinis excellere se posse dissident; nec huius rei gratia nimium dolent; non autem ut certo delecto genere, in quo habitent, & praestare studeant, non ex ceteris, illius, quam arripuerunt, adjuncta, vel ornamenta conquirant. Scitum illud est apud Xenophontem Socratis: non omnes omnibus perfecte discendas, & exhaustandas esse artes: sed tantum de singulis capiendum, quantum necesse videbitur. Quod si fieret, plus esset eruditionis in plerisque, ac perturbationis, & molestiae minus. Hoc igitur sequantur, qui bene docti esse cupiunt, & nam de cunctis amplectantur scientiam; in qua sedulam, & praecipuam operam collocant: ex aliis vero, & quoad fieri potest universis, tantum degustent, ac derivent, quantum satis sit ad excolendam, illustrandamque primariam. Ita fieri poterit, uti compos omnium sit unus; qui quidem sobrie tamquam vino, sic illarum cognitione uti velit ad salubritatem, non ad ingenii ostentationem, & iactantiam. Tum illa vero epistolae tuae querebra praedicetur; quae arctissimo inter se nexu colligatas, & federatas artes distracti non aequo fert animo, & ad pristinum orbem revocari jubet; uti mutuo sibi emolumento, & splendori esse pergant. Tunc & boni Philosophi, non mali Grammatici; & hi vicissim, si id eurent, Philosophi probabiles esse poterunt: quales & olim fuisse tibi assentior, & hoc tempore, si me audierint; non despero fore. Nec de Philosophia dumtaxat ita sentio; sed etiam de pervagata in scholis divinarum rerum scientia: cui & ipsi plurimum ex humanitatis studiorum commercio adjumentum comparare licet; praesertim ex Grammatica: saltem ut in rebus suis explicandis deteret barbarie, conditam nitore aliquo sermonis orationem afferat. Quamquam non is ego sum, qui inconcinne, & subrustice loquentem Theologiam, deridendam, vel damnandam omnino censeam: quod nonnulli fastidiosius, ac delicati stomachi faciunt. Et quoniam meum tractanda illius institutum commendabat epistola tua, idque placere tibi significabat, quod in Theologicis exponendis dogmatibus, sermonis ostensionem vitare studuissem, paulullum hic immorari volo, ac tibi illos excusare munditiae in loquendo negligentes, & eorum apud te causam agere.

Ac Latinitatis quidem in scribendo purae, elegantisque copia quam non paratu facilis sit, nemo te melius existimare potest: qui & in eo multum elaborasti, & laboris fructum hac aetate singularem es assequutus. Illud vero cum per sese, & in omni genere argumenti spissum, operosumque sit: tum multo difficilius est, cum obscuris, nec politae antiquitati cognitis in rebus disputandis adhibetur. Quod equidem duabus de causis evenire arbitror. Altera est, quod eodem tempore in duo, & quidem genere dissimilia, scribentis animum dividi necesse est: cum & rerum subtilissimarum intricatas notiones evolvere, & quibus eas verbis ornare, ac vestiare, cogitare interim oporteat. Altera est causa inferioris aetatis, & nostrae propria; quod spinose, ac perplexae commentationes illae, in quibus enodandis defuisse nostris Latinae cultum dictionis docti homines queruntur, novae sunt, & praesens illis Romanae concinnitatis auctoribus inusitata; ac propterea nullo ab iis ornatu sermonis expositae. Ita fit, ut cum vivete iamdudum Quiritium lingua defierit; nec aliunde, quam ex illorum monumentis, exquisitum vocem, & locutionum copia suppetat: hoc destituta praesidio nostrorum industria, nihil dignum vetere opulentia possit expromere. Quo minus irasci convenit acutis illis, & solertibus viris; qui cum Philosophicas, & Theologicas quaestiones enucleare instituisent, ita se penitus in earum contemplationem infixerunt, ut omni cura elocutionis abjecta parum Latinae sint locuti. Quos enim in talibus adhaerendis adhibere magistros ex erudita antiquitate poterunt? aut qui-

bus tandem vocibus illa declararent, quorum nullum istorum in libris vestigium relictum cererent? Itaque necessitatem verterunt in legem, & inventa, cogitataque sua rudi, & incomposito stilo sic insuevere proloqui: ut jam philosophorum, & scholasticorum more fermocinari, sit idem, quod barbarè, opicèque dicere. Atqui fuit aliquando tempus, cum Scholastici nomen, & quod ab eo deflexum est, Scholasticè loqui, in præcipua docti, & elegantis sermonis laude poneretur. Nam & Scholasticum appellare mos fuit eruditum, & in bonarum artium disciplinis exercitatum hominem: & Scholasticè dicere, vel scribere, id ipsum erat, quod ex arte, præceptisque rhetorum affabrè factam orationem contexere. Nunc mutata sunt tempora: cumque his, usus & consuetudo loquendi. Quod arbitror moderatè ferendum vobis esse leporis, & urbanitatis amatoribus, ac cum Latinæ facultatis inopia compensandam tot acutè inventorum sollicitiam. Quamquam non ad omnes generis istius, & sanctæ Theologos querela vestra pertinet. Nam aliqui inter eos existerunt, si minus, quam vos, facundi, & ornati; non tamen putidi, ac satis commodè, bonisque verbis, divinis de rebus explicantes. Quis autem amplius aliquod ab illis requirat? nisi forte dicendi veneris, & oratorios calamitosis disciplinæ utriusque naturæ desiderat.

Verum de hoc argumento non est propositum hic agere: quod in prolegomenis tomi primi Theologicorum dogmatum cumulatè præstiti: ubi illud exposui, quodnam sit Theologicis questionibus tradendis accommodatum dictionis genus: & cujusmodi in illis conscribendis sum ipse persequutus. Cujus ad extremum summa hæc est confectio; neque turpiter, ac non Latine loquentem decere esse Theologum: ut de Philosopho modò taceam: neque tamen oratorio illo fuce, & pigmentis pueriliter excultum. Quod decori, & ad usum congruentis sermonis temperamentum cum essem meis illis in dogmatibus exprimere conatus, inventus est tamen ex illa face Armacanorum Theologorum, cui nostra hæc in Latine scribendo cautio, ingenua, ut opinor, & necessaria displiceret; ac mihi quod nimis disertus, & ut interpretabatur, Ciceronianus esse mallem, quam trito, inveteratèque more inamoenus, & incomptus, probro verteret. Adeo difficile est satisfacere omnibus, & insecum, inolitumque non minus animis, immo multò his magis, quam corporibus, morbum, & vitium eluere. Ego verò aspernari levissimos homines, & eorum convitiis nihil moveri quotidie condisco: præsertim in illis, quæ tu cum tanti facias, & ab ea, quam morosus iste vituperavit, parte commendes: ineptus sim, si prior illi meo, subscriptione corroborato tua, obscuri & ignoti theriacopolæ iudicium anteponam. Vale, mæque, uti facere institui, amare perge.

EPISTOLA XXVIII.

VADIS me delectat impetus ille animi tui, quo te in litterarum studia ferri video. Nec minus illud afficit: quod ad eum ardorem iudicium affers & prudentiam. Id adeo ex illa tua postulatione intellexisse videor, quæ methodum & ordinem quemdam à me elicere cupis, quo tu deinceps in illo cursu progredi possis. Faciam ergo quod jubes, nec tui tantum causâ, sed etiam aliorum quos idoneos judicaveris, certam quamdam rationem explicabo, non illam quidem reconditam, sed ejusmodi quam tibi & aliis, qui perinde ac tu cursum hunc litterarium auspiciantur, certissimam & expeditissimam fore confido.

Qui igitur in ipso docendi tirocinio, privatim consulere sibi, ac suorum studiorum habere rationem instituit: tria potissimum persequi, & in iis elaborare oportet. Primum est orationis utriusque stilius, hoc est solute numeris, ac devinctæ; alterum Græcæ linguæ peritia; tertium varietas eruditionis, & Latinorum, Græcorumque Scriptorum usus & consuetudo. In his præcipue tribus illorum occupandum est labor. Sed hoc imprimis admonendi sunt, unum aut alterum annum duabus in primis exercitationibus, hoc est procedendo Latino stilo, ac Græcæ eruditione collocandum esse,

tertium usum jam ac disciplina maturioribus paulatim adeundum.

Matutinum ferè tempus in recolendis primùm Rhetoricæ præceptis, Cicerone legendo, ac descriptione transigant. Præcepta per id tempus non aliunde quam à Soaris elementis, ac technicis Ciceronis libris, haurienda sunt. Igitur primos omnium oratorios evolvat, tres, inquam, qui de oratore sunt inscripti; tum orationem ad Brutum, qui ad artificium illud, quod vocant oratorium, ac nitorem orationis, & cultum, singularia adjumenta suppeditat. Adjungat & recentiores aliquos qui de figuris ac numeris breviter, accuratèque scripserint, cujusmodi nunc Strebas occurrit. Quamquam ut è Cicerone præsertim, & Quintiliano, lepos ille discendus orationis est, ab illo etiam usus ornamentorum omnium, atque exempla comparatur.

Primum & secundum ferè mensem in sola præceptorum lectione, ac Ciceronis tractatione, sine ulla saltem serâ scribendi exercitatione, consumat. At particulas interim orationis aliquas, velut exordia, communes locos, scriptitare nil prohibet, tamquam periclitandi sui, vel ejus quod legerit, imitandi gratiâ. Caveat ne Ciceronem cum in manus sumperit in feligendis ac describendis loquendi formulis, ac figuris, & id genus ceteris, abutatur otio. Quin paucissima per id tempus annotet, ne contentio ipsâ legendi, quæ singularem in nobis eloquentie formam potest exprimere, toties interpelletur. Exacto ad summum altero mense, scribere deinceps aliqui incipiat, & quod legerit imitando consequi. Descriptiones porrò in omni causarum genere versentur, ac nonnumquam etiam epistolæ ad exemplar Ciceronianum elaborandæ sunt.

Primis mensibus poeticam ne attingat omnino, donec Ciceronianam elegantiam penitus animo ac stilo combiberit: reliquis deinde bis tæpe per hebdomadam, Latinum carmen meditari poterit; ad idque prius Virgiliæ ferè tractatione perpoliat, quem unum in heroicis admirari æmularique convenit, Statio, Claudiano, ac reliquis tantisper omisis, donec Virgiliano characteri sic assueverit, nihil ut ex deteriori allini atque adhaerescere posse confidat. Nam in omni, quæ quidem seriò suscipitur, exercitatione scribendi, consuetudinem illud est, uti certum propriumque genus exprimitur, non ex variorum ac dissimilium Scriptorum imitatione, mixtum atque confusum. Errat autem, qui aut Ciceroni soluta in oratione; aut in carmine, Virgilio auctorem anteponeat ullum.

Multum verò Latine ad orationis facultatem pertinet, præter Ciceronem adhibere certos interdum è recentioribus, qui se Ciceronianos fuisse studuerint, cujusmodi est Perpinianus, Muretus, Manutius, Sadoletus, Longolius, & Itali quidam superioris seculi. Nam & illorum consuetudine, nescio quomodo paulatim ad Ciceronis imitationem assurgimus, & ea tractant argumenta quæ sunt usui nostro, & scholis accommodatiora; cum alioqui Ciceronis orationes in forensibus controversiis, à quibus alienæ sunt exercitationes nostræ, pæne consistant universæ. Sed illi ratiùs, & cursim adeundi sunt, in uno verò Cicerone commorandum; in ejusque lectione propemodum habitandum: ut is se plurimum profectisse sciat cui, ut ait Quintilianus, Cicero valde placebit. De stilo dixi: proximum est, ut de Græcæ linguæ disciplina præscribam.

Tamet si primis, ut dictum est, mensibus, perpoliendi stili Latini primaria esse cura debeat: eodem nihilominus tempore, ut ne similitudine occupationum fatigaretur animus, sed nonnulla varietate recreetur, certæ Græcæ horæ seponendæ sunt, maximè pomeridianæ. Principio Grammaticæ præceptiones revocandæ in memoriam erunt, atque usu continuo, & mutua quoque contentione, penitus in animo desigendæ; tum auctores tentandi initio faciliores, quales sunt Æsopi fabellæ, Plutarchi apophthegmata; Aphthonii progymnasmata, cum fabulis; vitæ Plutarchi, Xenophonis opera, Lucianus, Herodianus, Ilocrates, Heliodorus, Demosthenes, Plato, Themistius. Inter legendum non nimis stili enucleanda, & ad vivum rescandenda singula, sed mediocri vocabulorum & orationis luce contenti quamplurima percurrant, intelligantque nulla alia ratione Græcæ linguæ copiam, quam multa, & constanti Veterum lectione comparari. Quoties aliqua vox occurret, cujus significationem nesciunt, eam in pugillari

pugillari notent, quem libelli in morem secum habeant, & collectas voculas identidem recognoscant, mandentque memoris.

Biennio confecto, superiores quidem exercitationes, quoad licet, retinendæ sunt: sed de temporis in exercendo stilo diuturnitate deducendum, deque Græcis aliquid, quod in eruditionis variegatæ doctrinæ studio collocetur. Ea ex Veteribus maximè retinenda, quæ quidem historiæ, antiquitatis Romanæ, Græcæque, & utriusque scriptorum usu continentur. Sed antequam in historiam sese penitus immergant, duo comparata debent esse præsidia; alterum Cosmographiæ, vel Geographiæ; Chronologiæ alterum; utraque tamen initio, sed hæc posterior maximè, leviter adumbranda erit, non accuratè penitusque perscrutanda: postea si usus & voluntas erit, major adhiberi diligentia poterit.

Historiarum ab Romanis repetendum est principium, in quibus Livium cum Dionysio Halicarnassensi componet; ad eosque, duces applicabit Sigonii Fastos, idque adeo studebit Romanæ ut antiquitatis, & historiæ sit apprimè peritus. Quam in rem Sigonii, Onuphriique libros omnes, qui de Romanis antiquitatibus moribusque disputant, attentè perlegat. Ab ea porrò parte, quæ de Magistratibus agit, ordiatur: cujus, ut & partium reliquarum, ab Rosino rudimenta petuntur.

Criticis recentiores, ut Lipsium, Turnebum ac ceteros, subscribis horis, ac certis per hebdomadam temporibus leget, & eorum ipsemet exemplo quæ inter legendum castigatone, observationeque digna judicaverit, de iis conjecturas suas in commentariolum redigat.

Locos communes deinceps studiose conficiat: quorum qui consequitur usum, nihil unquam iis in studiis insignie contentetur. Sed ea tantum seligat quæ minus trita vulgò, aut ad usum certè quotidianum necessaria cognorit: quæ verò jam aliorum lubricationibus occupata sunt, & commentariis librisque comprehensa, ea summatim delibet, & ad fontes ipsos digitum intendat. Ob id communes insituere locos non antè expedit, quam sit paululum usa librorum, iudicioque maturior.

Temporis partitionem utpote jam doctrina corroborati sibi præscribit ipsi: quæ pro ætate cujusque ac profectû, tum schola cui præficiuntur, non uniusmodi præscribi potest.

Ad hæc omnia genera privatarum exercitationum, adjungendum est diligenter studium Latini sermonis, non ejus solum, qui majore otio, & labore, in meditati, & affabrè quodammodo factis orationibus exprimitur, sed quotidiani, & familiaris. Is est duplex: nam alter in privati colloquio, alter in scholis, enarrandis auctoribus assumitur. Ac cum sit utrumque dicendi genus ab oratorio diversum; quod eo minus limitatum, & ad Ciceronis archetypum incuriosius exactum esse debeat: posterius tamen, quod in prælectionibus infunditur, majorem ut ornatum, & copiam, sic operam, & contentionem requirit. Quocirca formandi sunt ad utramque palæstram domesticis assiduèque commentationibus præceptores nostri: atque in familiari quidem sermone multum adjuvat, proprias rerum omnium appellationes, partim observatione Latinorum veterum, partim recentiorum quorundam lectione condiscere: qualis est nomenclator Hadriani Junii, prædium rusticum Caroli Stephani: ex antiquis autem Columella, Plinius, alique similes, qui in magna rerum, ac verborum ubertate versantur. Cavendum est autem, ne in pedestri illo sermone, longiores, ac numerosos circuitus, & proprias oratorum dicendi formulas immisceant, quod paucissimi hodie devitant. Fatendum est enim plures hæc ætate reperiri qui copiose, & diserte, quam qui Latine loquantur: cujus rei causa hæc est, quod Latine linguam non aliunde quam ex libris, ac lectione comparamus. ita fit ut cum libri numero illo verborum, ac sententiarum ambitu conclusam orationem præbeant, idem dicendi genus imprudentes, etiam ad usitata colloquia transferamus: quod esse vitiosum sermonis vernaculi similitudo demonstrat. Si quis enim itidem loquatur ut scribi solet, is non hominum more confabulari, sed nugari, aut insanire putetur.

Ad orationis perpetuæ facultatem, quam scholasti-

cam sanè nominemus, magnopere conducet privatim sibi prospicere quemque: si id minus in commune fieri possit: crebròque secum, vel cum aliquo de collegis suis, Latine conferre sermonem, tum fabulas & historias, primùm meditatos, post interdum ex tempore dicere, aliàs de iis quæ apud auctores legitur, prælectionis in modum, quasi ad discipulos verba facere: quæ quò libentius susceperit, eò ad docendum paratior, & instructior accedet. Nam ex omnibus scholarum officiis id esse difficillimum constat, Latine dicere: sic ut expeditè, non tractim ac titubanter id facias, tum verò eleganter & ornate.

Hæc habui quæ de studiorum ordine, paucis, & quoad poteram accuratè, perscriberem. Tu nisi quid melius his habes, iis utare censeo, ac meam causam apud communem Dominum agere pergas. Nihil hoc mihi gratius facere potes. Vale.

EPISTOLA XXIX.

UPER his contractionibus noctibus, cum infornia laborarem, subit animus hæc recordatio: clarissimos quosdam viros in pari causa Perii prologum Græcè vertisse. Quos ut imitarer, temperare mihi non potui, quin & ego quid hac in re postem experirer, ac tecum communicarem, ut somnii perinde ac vigilæ fructus tibi aliquis exlaret. Sic igitur Latinos illos scazontas Græcis totidem expressi.

Οὐτ' αἰῶν πῦρα χεῖρ' ἴππῳ κελύει,
Οὐτ' ὄναρ ἀκροῦν ἐκείνῳι Πανασσῶν
Εἶδον, πικρὸς ὡς πικρῶν τε φῶσα.
Ἐλκωνίδες, καὶ ἀρχαῖος Παιδίον
Κείνους ἀφείδω, ὡν κατ' ἐκείνας εἴψας
Κιτὸς θέρπει. αἰὲν ἐς ἰσθμὸν πενήτων
Ἡμιπλήρεις τέρπον ἐς ἔσθ' ἄμπετα.
Τὶς Ἰωβιάνους ἤρῃσας τὸ σέβην χεῖρας;
Κίττος τε πῆς διδάξεν ἀνδραγαθὸν φωνίῳ;
Τέτρως καθυγεμῶν, νόσ τε δὴπνεζ
Γαστρ, πρὸς φῶσιν φθίγειται ἐμπαθῶν δεινῶν.
Εἰ δ' αὖτε δολογῆς νευμῖς φάσινοι ἱλαῖς,
Κόενας πικρὰς, καὶ πικρὰς κίττος
Ἄδον δοκίμῳ Πανασσῶν ἰδίῳ.

EPISTOLA XXX.

Josepho de Vossij V. Cl.

LIBRI tui specimen, quod ad me recensendum, castigandumque misisti, VIR CLARISSIME, reliquit me ex censure, ac magistro, rediens ad te, admiratorem suum. Adeo multa in eo legi præclara, & scitu digna. Sed imprimis argumento ipso placuit: quod amplum per se ac magnificum, tractatione ipsa splendidiùs illustriùsque fecisti. Quid autem Christiano Theologo jucundius atque optatius esse debet, quam quod illic agitur, ut fidei dogmata ex ipsorum, qui implacabiles sunt illius hostes, Hebræorum placitis, & decretis adstruantur? Sed inest præterea illo tuo in opere non vulgaris iste fructus, quod inveteratus ex eo convincitur error non minus bonis artibus, quam Christianæ rei perniciosus. Nam sunt plerique nec obscuri, nec contemnendi ceteroquin homines, quibus Hebræismi studium, vel omnino displicet: vel tantum in eo collocari operæ, minus profectò placet. Quod ipsum duabus de causis sentire illos animadverti. Primum quò inde præsidia subministrari putant novitatis in religione plus æquo cupidus hominibus, quibus ad Catholicæ simplicitatis, auctoritatisque contemptum illorum acuitur, & armatur audacia. Deinde quòd ita persuasum habent, nihil in reconditiore Rabbiorum suppellectili, præter commentitias res, & aniles, ac ludicras contineri fabulas: quos quidem accuratius explorare, uti nihil obicit (quod tamen difficile sit credere) certè nihil ad veram, solidamque scientiam admodum interfit. Hæc igitur duo quæ Hebræicarum litterarum alioquin appetentes, abstertere solent, tuo illo ex opere depelli, ac refutari magnopere

perè gaudeo. Nam & discant qui hoc legere volent, quanto ad rem Catholicam tuendam, & ornandam ad-jumento disciplina ista esse queat, si non minus pruden-ter, quam eruditè tractata fuerit: & non pauca inesse istic intelligent, quorum ne graves quidem, & apprimè pios, Theologos poenitere debeat.

Atque ut desint cetera, quanti tandem illud æsti-mandum est, quod ex tuo armamentario in promptu nobis ea sunt, quibus recentiorum ex illa face Ju-daismi frangi, ac revinci contumacia poterit? Quæ hominum natio etsi plumbea sit, & communem cum vera pietate sensum, ac rationem amiserit; tamen dum se majorum suorum sententiis, quorum proxima est apud illos ab sacris libris, immo par æqualisque di-gnatio, tam perspicuè refelli viderint, non poterunt, nisi dedoceri, ac respiscere velint, sine pudore ali-quo, & æquiore in nos animo discedere. Non est au-tem in censu, & apparatu Christiani Doctoris ac Theologi, postremo numeranda loco vis, & facultas illa Judaicæ coarguendæ perfidia: ut à quo populo lu-cis, & salutis per Christum in nos primordia deriva-ta sunt, nos in illum vicissim eadem ista, per quæ salvi sumus, fidei & Christianæ veritatis beneficia con-

feramus. Mihi quidem, ut de me profitear, non par-va videtur futura hæc accessio ad Theologicorum no-strorum Dogmatum commentationem: in qua me scis occupatissimo nunc animo otioque versari. Tum ve-rò impensius hortor, ut in eo, quod feliciter institui-sti, quoad tuo, publicoque commodo poteris, gna-viter & impigre perseveres: itaque prorsus habeas; primà istà lucubratione tuâ non perfunctam & abso-lutam apud nos fidem & industriam tuam; sed ad uberiora posthac iidem ex Hebræorum, & ingenii tui fontibus proferranda, devinctam, & oppigneratam te-neri.

Verùm hæc adhuc speranda scilicet, & postmo-dum opera, studii quoque tuo fructus succedent. Quod autem moliris in præsens, & cujus mihi gustum ac spe-cimen representasti, si iis quæ legi, cetera, uti confido, responderint, magno mihi tum ad illam, qua sum erga te usus, hortationem incitamento sunt: tum ad communem exorandum Dominum, tibi ut ad exequen-da reliqua, corporis animique vires suppetant: & illius, quod jam edideris, fructus ex communi utilitate, & proborum ac doctorum approbatione constet. Vale, vir eruditissime, & me uti facis, amare perge.



DIONYSII
PETAVII
AURELIANENSIS,
E SOCIETATE JESU,
EPISTOLARUM
LIBER TERTIUS.

OFFICIOSÆ.

EPISTOLA I.

Urbano VIII. Pontif. Maxim.

DIFFICILE est bonis in rebus, ac prosperis modum tenere: (SANCTISSIME PATER) & quos secunda quaedam favoris aura pro-venit; ii longius, quam initio putabant, aut quam prudentes decet, nonnumquam fe-runtur. Id adeo in me sum expertus ipse: qui nuper honorifico S. T. judicio, & Apostolicis ornatus litteris, contineri non potui; quo minus ad eum me benignita-tis portum, quem mihi semel patefactum videram, eamdem spe rursus, ac fiducia referret. Hoc verò etenim majore, quam dudum, audacia nunc institui facere, quod te non solum publicè appellare sum ausus cum ejus generis munusculo, quo mihi ad gratiam tuam aditum paraveram: sed has etiam privatas adjeci litteras, pa-rum fortasse verecundè, panèque familiariter. Verum ut hoc susciperem, cum tua pristina in me benignitate, tum quodam insuper religionis ac pietatis officio sum adductus. Cujus officii ratio etsi est à me verbis iis exposita; quibus Latinum, Græcūque poemā nomini tuo consecravi; eandem tamen solutis, ac dilucidiori-bus verbis iterari hoc loco patieris.

Colitur hac in urbe incredibili populi veneratione B. Genovefa: quam multis, maximisque miraculis illu-strem, imprimis verò curatione morborum, Parisienses sibi olim patronam adoptarunt: estque illius nomini di-catum cum æde sacra Cœnobium; cujus Abbas est ho-die Eminent. Franc. Cardin. Rupificaldus, virtutum vir omnium laudibus excellens. Hujus ego jussu, & hortatu ante annos undeviginti Officium ut vocant, Ecclesiasticum Sanctæ illius Virginis de integro scripsi; quod Romam ille misit, ad sacrorum Rituum Congre-gationem; ut ejus decreto probatum maneret in publi-cum, & usui omnibus esse posset. Ac decretum quidem de illo jamdudum sacra Congregatio fecit: sed ab scri-nii magistro istud impetrari non potuit. Quocirca ab S. T. enixè peto, ut quod sacra illa Congregatio sanxit, ratum esse jubeat, nobisque Decreti illius copiam face-re dignetur. Est illa quidem perexigua postulatio, nec tanta majestatis auribus fortasse digna, sed pro meo erga sanctissimam patronam amore, ac studio, id in magni beneficii loco numerabo, siamque ad preces pro tua incolumitate fundendas alacrior, ut Sanctitatem tuam, (quod à Deo supplex optare soleo) his affixam Ecclesie gubernaculis, ac pro voto omnia gubernantem, quam diutissime conservet. Vale.

EPISTOLA II.

Urbano VIII. Pontif. Maxim.

VERISSIMUM illud est, BEATISSIME PATER, quod de Romana urbe Veterum quispiam dixit, longius eam Christianâ religione ac pace, quam armis fines imperii protulisse. Cujus rei fidem antea nos ex annalium repetere memoria soliti eramus: nunc oculis ipsis quotidie usūque nostro, iis in locis populisque aspiciamus, ad quos propagandi causâ Evangelii jam-dudum sumus profecti. Nam cum hos in extremis sitos Mundi partibus, & ab orbe nostro Romanique com-munione nominis, non tam vastissimo terræ ac maris in-terjectu, quam immanitate ac barbarie disjunctos, ad oblatam lucem accurrere tam cupide ardentèrque cer-nimus, atque ignotum cum Christo, sedis Apostolicæ nomen & principatum admittere: neque de eo, quod dixi, dubitare possumus; & illi ipsi tanti auctori boni Christo, ac tibi hujus vicario gratulandi finem nullum facimus. Hunc nos gratulationis officioque sensum, quamdiu intra modum constitit, ac coërceri se passus est, tacitum inter nos habuimus; neque ad tantæ ma-jestatis notitiam per nos ipsi propagare ausi fuimus. Sed ubi quotidianis auctus successibus majorem efferbuit in modum; vicit pudorem omnem ac verecundiam, meque simul obscuritatis oblitum meæ coëgri privatim de iis ad Sanctitatem tuam litteras dare. Itaque dabis hanc audaciæ meæ veniam, si pro officii mei munere, ac rei magnitudine, id mihi sumo, ut de rebus nostris novæque Ecclesiæ quæ hic sub auspiciis Sanctitatis tuæ coaluit, ea perscribam, quæ tibi non ingrata nec inju-cunda confido fore.

Regionem incolimus, quæ in Americæ parte Septen-trionali sita, nova vulgò Francia dicitur. Ea secundum sancti Laurentii flumen extenditur: quod longè latèque exporrectum, magni instar maris habet. Hujus ripas Francorum aliquot familiæ obtinent; quibus sacra mi-nistrant societatis nostræ homines: summæque inter se pace ac tranquillitate vivunt omnes, sub ejus ductu ac tutela, qui Regis nomine hanc provinciam administrat. Is eques est Melitenfis, D. Montemagnius, rarâ vir pietate ac prudentiâ: cujus exemplo & auctoritate plu-rimum inter Gallos virtutis studia promoventur.

Jam barbarorum & indigenarum vagi alii sunt, nullâ certâ sede ac domicilio; alii per pagos habitant: om-nes partim venatu, ac piscatione; partim ladico fru-mento, paucisque terræ fructibus, miseram atque ino-pem vitam ægrè tolerant. Bella inter eos panè continua sunt;